



SUMME DEUS!
quod sponte Tua mihi fortè dedisti,
Efficias dignum Nomine quæso Tuo.

QUÆSTIO LOGICA,



De Ente Rationis.

Ex Libro 4. Meth: Cap. 2. & Lib: 6. Tex: 8vo

DESVMPTA;



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,
Magnifici, Perillustris & Admodùm Reverendi D.

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

V.I D. & Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omniũ Custodis, Curati Luborzycensis, Roszczeviani, & Contubernij Philosophorum Provisoris, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS;



A

M. MATTHIA PAVLO CELEIOWICZ,
Philosophiæ D. & Professore, Contubernij Sisiniani Seniore, in Archipresbyterali Ecclesia B.M.V. in Circulo Crac: in Capella Chelmsciana Præbendario, S.R.M.S.
PRO LOCO IN COLLEGIO MINORI OBTINENDO.

In Perangusto DD. Theologorum Lectorio,
publicè ad disputandum

PROPOSITA.

Anno D. 1703. Mense Februario Die 3tia.

CRACOVIÆ Typ: SCHEDELIANIS.

IN STEMMA
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
DOMINI.



Iterum in Pontino agro, cùm ſimili pugna M. Valerius, inſequente Gallo, Sacra Alite adjutus retulit ſpolia. & inde CORVINI.

Lucij Annæi Flori, rerum Romanarum Lib. 1mo. Cap. 13. teſtimonium

IL-

D. MICHAELI IOSEPHO
DE WILKOW
WILKOWSKI,
Sacri & Candidissimi Ordinis PRÆMONSTRATENSIS
CANONICORVM REGVLARIVM,
DIVINA VOCATIONE,
ABBATI IN CHEBDOW BRESTENSI &c.
Domino, Patrono Observandissimo.

Devinctissimus Author. S. & P. F.

FEstivum duc quæso Chorum, pede plaude Thalia!
Plaudite Pierides! grata Poësis ovat.
Ludit in extremo spirabilis ætheris Ales,
Pandit & altisonâ gaudia voce sibi.
Plaudit ovans! Aurum Phoebo mirante rotatur,
Aurea Laurigeris tempora sertáq; viris.
Ales, frondis honos: onus atq; est illius ales;
In summo CORVVS *considet usq;* CRVCIS.
Non satis est ferrum Volucri, CRVX *Aurea præstat;*
Illud prælia fert, Ista triumphus adest.
Ætheris est Civis, summoq; à vertice prendit
Et decus & pretium, pro CRVCE *quando sedet.*
Crastinat haud unquã, qui Gemmas ore dat: Aurum
Gratiùs ex rostro lumina Sole jacit.
Ætatem CORVVS *cervi ter præterit ater?*
Æquat at Hic CORVVS *Sarmata secla Tua!*
Aurum cum mundo ferrum genitumq; probamus,
Comprobat Hic meritis tempora tanta suis.

Causa est in promptu: cùm SOLEATVS eat.
Hàc SOLEA *non rarò Orientis* CYNTHIA *sævis*
Ignibus exardens strata gemebat humi.
Vrsa ferox, glaciale malum, sævosq́ue Gelonos
Parturiens; foetum moeruit ipsa suum.
Coelorum fuerat munus, quod MOSCVA *frendens*
Ictibus horrificis anxia, pressa fuit.
Pondere virtutis tanto WILKOVIA *crevit,*
Cum Gemmis Aurum congeminando Domus.
Consociat ferrum, majores hostibus ipsis
Attonitis ut hinc inferat Ipsa plagas.
Quærite Pierides castæ, cur nostra Pöësis
Tantisper siluit? jussit Apollo sacer:
Quæsijt in celso cunabula, quæsijt atq́ue
Gemmas; ut placidus fortè rediisset honos.
Invênit, quâ sorte sibi res prospera fingi
Possit; &, à Gemmis cum CRVCE *traxit opus.*
O felix Pataræa, demum nunc Aula! per altum
Aera cum CORVO *ludere dulcè potens!*
In terris non linque precor pia Nomina! velox
Sidere sub nitido quêis spatiatur AVIS. (*Coronâ*
Mitte graves ABAVOS, ATAVOS, PROAVOSq́ue,
Innexam Coelis, Musa superna canat:
Sat meminisse Tibi (debiles tenuando cothurnos)
Quà patet vsq́ue Caput, quà patet atq́ue Manus.
In Caput incubuit Mytræ decus; & pia Dextra
(Æmula quæ nivi est,) Pondera Sacra tenet:
Candidus ô ABBAS, *Doctorum summe Virorum.*
Diceris, ingenio sat memorande suo!

Tu mi-

Tu mihi præ Cunctis, Tu Gloria prima [illegible]
In quem Regnantûm prosꝑere fertur amor.
Te olim delicias cuncti dixere IOANNIS,
Cûi Oriens vinctas subdidit ipse manus.
Te SRENIAVA LVBOMIRIVS, CAPVT atq;
DONHOFFIî
Flagrabant; Ambo conditione pari.
Sed meritis censende Tuis! ex Sangvine claro
Atq; Coronatis, munera nulla petis.
Vexillo clarus Frater Gladioq; IOANNES,
Duplicat immensum Nomine laudis opus.
Clara Rhodus transiît, muri bimarisve Corynthi;
Nam fuerant vanæ perditionis opus:
Sed geminæ Turres, queîs nunc CHEBDOVIA *splendet;*
Immortale Tuum Nomen in astra ferent.
Istuleæ tanquam ripæ Pharon imposuisti,
Quam, qui sulcat aquas navita grandè stupet:
Hanc, inter referet spumantia littora Tethys,
Cùm nova monstrabit signa relicta vado.
Nec sunt falsa meæ (credo) præsagia Musæ;
Cùm Tibi nectareis fontibus ora fluant.
Hinc facis, ut placido bene currere carmina nexu
Possint, artifici nonve nocere suo:
Quæ, si tempus edax, aût invidiosa vetustas,
Consumpsisse parent? Turribus addo Tuis.
Inclyta sunt Regno multùm monumenta: proinde
Carmine cum Turres Vistula dulcè sonet.

Idem humillimè deprecatur à DEO;

Illustrissimæ & Reverend: Dominationis Vestræ

Devinctissimus Servus

M. M. P. C.

QUÆSTIO LOGICA.

ENs *Vtrùm* Rationis habens in mente repôstum
Esse hominum, solâ hac efficiatur idem?
An fiat, quando intellectus concipit illud?
Tergeminas species constituatq; bene:
Cùm mens plura Refert, Privat, Negat; & quasi formas
In rebus ponit talia ficta sua?

CONCLVSIO I.

ESse suum Ens Rationis habet sola in ratione,
Objicitur quando concipiturq; simul.

COROLLARIA.

I.

IN rebus fundatur idem, nihil est neq; purum,
Ast aliquid; minima est cûi tamen esseitas.

II.

ENs fictum, dissentit ab hoc, fundatur in ipsis
Quod rebus; proprium nomen abinde trahens.

III.

Apprime descriptum est, cùm dicitur: esse quod omne
Objectivè tantùm in ratione tenet.

IV.

FOrmalis Tibi si fortè est essentia curæ,
Ens facit hanc verum, si capis impropriè:
Est super objecto percepto sed fere tota,
Internum nomen quod tamen addit ei.

V.

ET non hoc titulus facit Ens extrinsecus ullus:
In rebus namq; est, non ratione mea.

CONCLVSIO II.

ENs hoc mens humana parit, non dirigit actum;
Comparat ast quando; tunc facit illa quidem.

CO-

I.

ENs Rationis & Istud nulla Potentia format;
Interior quamvìs sit, vel & Exterior.

II.

INternus formam sensus quamvis neget illi;
Materiam tribuit sed tamen ille suam.

III.

Ejus cognitio censenda est practica tantùm;
Quâ, quod noscitur, est res velut ipsa simul.

IV.

Plurima si cupiat difformia prona voluntas,
Entis causa tamen non valet esse Mei.

V.

HOc DEVS Omnipotens è Majestate tremenda
Angelus & nunquam fingere rite potest:
Concipiat quanquam, cognoscat, vel speculetur;
Non tamen hunc actum, quem damus, Ille potest.

CONCLVSIO III.

ENs hoc mens humana facit formaliter, actu
Expendit quando, concipit atq; simul.

COROLLARIA.

I.

EXistit quando formaliter Ens Rationis,
Passivus finis cognitionis erit.

II.

ENs intellectus formaliter haud facit istud
Divinus. Nam sic, non DEVS Omnipotens.

III.

CAusatur, definitur, quando Ens Rationis;
Hinc rectè nunquam cognitione caret.

IV.

Ejus cognitio, Species Expressa probatur;
Impressam quoniam non retinere potest.

V.

SIt fundamentum quamvìs formaliter Ejus;
Ens Rationis abhinc non tamen esse potest.

CONCLVSIO IV.

ENs bene dividitur Rationis: cùm Negat ipsa,
Privat, mensq; Refert; (ast homo solus agit)

I.

EST mediata tamen divisio talis in Ente;
Istæ tres Species cùm tribuuntur ei.

II.

FVndati in rebus propior fit sectiò; cùm mens
Plura Refert ad se, vel Negat illa typum.

III.

HÆc sed adœquata est, cùm divido per tria totum
Ens hoc: cùm Privo, cùm Nego, cùm Refero.

IV.

SEd, si mens Referat, Logicum tunc Ens Rationis;
Supremæ est Artis, cætera quando facit.

V.


QVà patet Ens istud, Fundatum dicito, Fictum;
Et perfecta Tibi Sectio tota manet.

IN STEMMA
ALMÆ MATRIS VNIVERSITATIS
Filius Author.



Aurea Sceptra Parens claro pro Stemmate gestas?
Aurum pro meritis det DEVS ipse Tuis.

A. M. D. G.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0024079